PRAECIPUAE MEDICORUM DE METASTASIBUS SENTENTIAE

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI SIBI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CONCEDANTUR
DIE XII M. JULII MDCCCXVII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CHRISTIANUS GUSTAVUS HECKER
ERFORDIENSIS

BEROLINI,
EX OFFICINA STARCKIANA.

THESES.

1) *Nullum esse signum pathognomonicum hydrothoracis.*

2) *Crises non semper sanitatis redeuntis effectus sed causas saepius habendas esse.*

3) *Febrem non esse morbum.*

4) *Phthisin pituitosam nullo signo pathognomonico ab exulcerata distingui.*

5) *Omnem remediorum prophylacticorum administrationem iam supponere statum a normali recedentem, ergo morbosum.*

6) *Sectionem synchondroseos ossium pubis relegandam esse e Chirurgia.*

7) *Methodum mentis morbos via psychica sanandi, medicaminibus pharmaceuticis et diaeteticis postponendam esse.*

8) *Omnia morborum cordis signa incerta esse, nisi lipothymia accedat.*

Prooemium.

Humanae menti studium atque conamen natura insitum est, omnium rerum conditiones causasque ita eruendi atque declarandi, ut earum et origo et ipsa necessitas clare demonstretur et quasi oculorum contemplationi exponatur. Quoniam vero plurimarum rerum causae proximae ita absconditae sunt, inque tanta versantur obscuritate, ut vel acutissimi ingenii captum longe excedere videantur, neque omnino locus inventus est, unde talia certitudine quadam aggredi liceret, quod si minus contigerit nos etiam ad peniorem principiorum naturalium cognitionem perventuros esse non credendum est, probabilitas sola summum humanae mentis propositum est, latissimumque et cogitationi et coniecturae immo phantasiae ipsi spatium relinquitur. Quae cum ad innumeras fere res referuntur, quibus humanum ingenium operam dedit, tum etiam ad ea pertinere viden-

tur, quae in Medicina natura ipsa obscuriora et tanquam tenebris circumducta sunt, leges nimirum universales, quibus organismus et sanitatem tuetur, et morborum insidiis circumdatus vel integritatem servat suam, vel ipsorum vehementiae et atrocitati succumbit. Omnes omnium temporum praestantissimi medici suas de iisdem habuerunt opiniones, veritati eo propius accessisse rati, quo magis illae naturae observationi accommodatae viderentur atque congruentes, laudatque historia medica egregia, quibus istae continentur, monumenta. e quibus cum insignem quandam medicinae doctrinam eruere nobis in animo esset, metastases eligere eo minus dubitavimus, quo saepius, mutatis de morbis opinionibus, et ipsae quoad hypotheticam pertractationem, mutationes subirent, necesse erat. Ex ingente librorum multitudine solas celeberrimorum medicorum collatas opiniones benevolus atque eruditus eo indulgentius exspectabit lector, quo magis secum perpenderit, harum morborum mutationum historiam vix esse finem speciminis propositum.

---

§ 1.

Solam Naturam morbos iudicare, omnis aevi medicorum et observatio edocuit et experientia. quis enim inficiari possit, medenti ullam concessam esse amoliendi morbum rationem, nisi qua, ut Sydenhamus dicit, cum ei de Hippocratis medendi ratione sermo est, deficienti Naturae succurrat, effraenam coërceat et in ordinem redigat, utrumque vero hoc tum passu illo, tum etiam methodo, quibus Natura morbum expellere satagit atque amovere [1]). Quae vero Naturae sit methodus, qua morbum amoveat, diligenter instituta morborum decursus observatio iam veteribus aperuit, quod eorum opera, praeclara ista acuminis in observando exempla, satis superque

1) Galeni in Aphor. Hipp. Commentar. l. I. XXI. Ed. Aldina Venet. 1525. P. V. fol. 107. 40. *Προσέχειν οὖν χρὴ τὸν ἰατρὸν τῇ ῥοπῇ τῆς φύσεως εἴτ᾽ ἐπιτηδείως μὲν γινομένης ὑπηρεττεῖν τὲ, ἅμα καὶ συνεργεῖν· εἰ δ᾽ ἐναντίως τὲ ἅμα καὶ βλαβερῶς γίγνοιτο, κωλύειν τὲ ἅμα καὶ μετάγειν καὶ ἀντισπᾶν.*

testantur. Quae vetustissimis temporibus morbos sanavit Natura, eadem aeterna lege hodie quoque mirabili providentia omnia molitur, ut aegro salutem quaerat. Sic iisdem phaenomenis ac mutationibus, quibus veteres, nos quoque morbos ad sanitatem transire videmus.

Febrium, quarum decursus ob nimiam reactionem organismi principalium systematum, nervosi scilicet et vasculosi, certis finibus circumscriptus est, has quidem Natura paullatim, illas vero derepente ad finem perducit vel iudicat. illae igitur minus repentinis excretionibus, maioribus paullatim intrantibus remissionibus, decrescentibusque exacerbationibus ad sanitatem vertuntur (lysis) hae postquam ad summum fastigium usque adscendere, subito exorta excretione, repentinaque facta mutatione, disparent. (crisis) vel febris transitu in localem morbum dissipatur atque discutitur, ita, ut singulum organon sive systema afficiatur, vel pars prius affecta convaleat, in alteram traiecto morbo. (metastasis) vel formam solam mutat morbus suam (metaschematismus.) Si vero ab initio mere localis conspicitur morbus, paullatim ad acmen usque adscendit, tum sensim remittit, peractoque decursu effugit. vel quo loco prius sedem habuit evanescit totus, et postquam ad alium locum migravit, forma secundum partis organisationem mutata, propullu-

lat atque effloreſcit (metastasis.)[1] Alius morbi est in sanitatem transitus, si auctis secretionibus atque excretionibus solvitur, si partium destructarum fit regeneratio[2]. Sed haec hactenus. uno alterove de morborum per naturam curatione adiecto, ad ipsas iam medicorum de metastasibus sententias perveniemus.

§ 2.

Metastasium doctrina cum ea crisium tam intime coniuncta est, ut, si metastases, quod multi, crisium genus esse velis, una fere eademque sit. quare hae morborum mutationes vix separatae pertractari possunt. Hippocrates, quem primum systema medicae scientiae practicae constituisse,

1) Quam diffusam omni fere tempore notionem pathologi metastasi et metaschematismo subiecerint, partim ex infra allatis elucebit. familiaris est hodie, et omnibus fere usitata istorum vocabulorum notio, qua hic ea usurpavimus, nostris praesertim temporibus fuerunt, qui his denominationibus certos fines constituerent, easque accuratius naturae illorum phaenomenorum accomodarent. quorum inter numerum, praetermissis ceteris, et cl. Brandisium (Versuch über die Metastasen v. J. D. Brandis Hannov. 1798. 4.) et referimus cl. Idelerum. (Über die Möglichk. der Einsaug. u. Absetz. des Trippergifts in C. W. Hnfelands Journ. d. pract. Heilk. B. 11. St. 1.)

2) Syst. der pract. Heilk. v. D. Ch. Wilh. Hufeland. B. 1. Jena u. Leipzig 1800.

et praesertim doctrinam de symptomatis in morbis simplici naturae motuum observatione coluisse atque illustrasse iure dicimus, primus morborum periodos cruditatem, coctionem et crisin constituit [1]. *Κρίσεως* nomen (quod latinis iudicium, iudicatio est) apud eum significationem admodum diffusam et generalem, quae verbo ipsi inest, obtinuit, cum modo ossis ex ulcere egressum, modo partum ipsum [2], modo omnem repentinam morbi permutationem (iudicationem) vel in melius, vel in deterius, immo mortem ipsam eo designaret [3]. Galenus eodem quidem sensu hoc nomine utitur, sed exacte crisin a lysi (crisi successiva, resolutoria, lenta) distinguit. illam igitur eo demum limite coërcuit, ut nonnisi repentinam et tumultuariam (*τὴν ὀξύῤῥοπον τῆς νόσου λύσιν*) cum effatu digna evacuatione vel

1) Galenus morbi stadiorum nomina introduxit, archen, anabasin, acmen, paracmen, eandem vero his substruxit theoriam. De Crisi l. II. cap. 12. Ed. Ald. P. III. fol. 114. 20.

2) A. J. Testa, de vitalibus periodis aegrotantium et sanorum. Lond. 1787. 8. Vol. I. p. 10. Bordeu, recherches sur les crises, p. 165. Ideler über die Krisis der Krankh, Breslau 1796. p. 11.

3) Hipp. Epid. l. I. Ed. Foes. (Genevae 1657.) p. 965. Galeni in Hipp. Aphor. Com. I. II. XXIII. XIII. Ed. Ald. P. V. fol. 113 b. 109 b. Ideler l. l. p. 8.

omnino decubitu coniunctam morbi ad sanitatem versionem crisin salutandam esse statueret, lysin lenem istam ac tardiorem morbi ad sanitatem transitum denominans, sine agitatione, neque evacuatione, neque decubitu. [1]) qua in re a Hippocrate satis discrepat, qui hanc distinctionem non fecit [2]). Hanc Galeni inter crisin et lysin distinctionem, quam naturae observatio docuit, omnes sunt amplexi posteriores, eamque hodie eo constantius tuemur, quo magis, quod iam olim Hollerius monuit, nostris temporibus verae crises rariores factae sunt.

Quod crisium divisionem attinet, cuius breviter mentionem faciamus, eam veteres secundum exitum constituerunt in perfectas, bonas, imperfectas, malas, simplices, compositas, repetitas etc. et secundum formam, praesertim Galenus, in excretorias et apostaticas, quae crisium genera satis nota sunt.

1) Galeni de Crisibus lib. III. cap. 7. Ed. Ald. P. III. fol. 117. b. Confr. de Cris. lib. II. cap. II. Ed. Ald. P. III. fol. 114. 20.

2) Galeni de diebus decretor. lib. II. cap. 5. Ed. Ald. P. III. fol. 128. b. 40. *Ο δ' Ιπποκράτης οὐχ ἅπαξ οὐ δὲ δὶς ἀλλὰ πάνυ πολλάκις ἐν τε τῷ πρώτω τῶν ἐπιδημίων, καὶ μάλιςα κἀν τῷ τρίτω, τὴν λύσιν μόνην τοῦ νοσήματος ὀνομάζει κρίσιν, ὀυδεμιᾶς, οὔτ' ἐκκρίσεως, οὔτ' ἀποςάσεως σαφῶς προγεγενημένης.*

§. 5.

Ex omnibus luculenter elucescit, mutationes istas supra memoratas, quibus morbus non penitus amovetur, ac morborum in alios transitus (metastasis, metaschematismus) a veteribus ad genus istuc magnum *τῶν ἀτελέων, ἐλλιπέων κρίσεων* referri. non est quod moneamus, metastasium doctrinam, cum in crisium doctrina fere tota sit fundata, apud medicam posteritatem semper mutationem subiisse, si crisium doctrina aliam formam consequebatur. haec enim, sicuti a veteribus tradita est, quamvis permulti, non tamen omnes posterioris aevi medici servaverunt, ita, ut non hodie primo, ubi veterum theoriam maxime aggrediuntur [1]), sed iam prius fuerint, qui nisi eam omnino veritate et dignitate sua defraudandam haberent, his tamen magnam partem detrahendam esse censerent [2]). sic Helmontius [3]) non dubitavit quin diceret, boni esse et fidelis me-

1) E. Horn Beitr. zur med. Klinik, Braunschweig 1800. Th. 1. cap. III. p. 44. etc. Reil, über die Erkenntn. u. Cur d. Fieber Th. 1. Halle 1799. §. 109 sq.

2) Corn. Celsi de Med. lib. III. cap. 4. Hieron. Fracastorii Operum P. I. de causis criticor. dierum. Lugd. 1591. p. 297. Bordeu, recherches sur les crises p. 165 sq.

3) Joh. Baptistae van Helmont Opera omnia. Francof. 1682. De tempore p. 602.

dici negligere crises. Sed iam crises mittamus, ne, dum in re tot tantisque viris illustrata atque absoluta [1]) diserti sumus, tempus nugis transigere videamur.

Ad ipsam *μετάςασιν* pervenimus, cuius nunc evolvenda est genuina notio. Nomine *μεταςάσεως* sensu Hippocrates vario utitur, bene monente Foesio [2]). Verbo enim *μεθίςασθαι* sensu generali de morbi depositione et transitu, et velut in alterum successione utitur. primo morbi transitus et in alterum successio ei *μετάςασις* nuncupatur, cum v. c. febres intermittentes autumni tempore in quartanas transmutantur, sic multi sunt loci, ubi ei *μεθίςασθαι* nil aliud est, nisi *μετασχηματίζεσθαι* vel *μεταπίπτειν*, quo morbi

1) Ant. de Haen Rat. med. Ed. altera Vindob. 1760. de crisi morborum, dicit: Ex Hippocrate, Galeno, Aretaeo Cappad. ceterisque subsequentium Medicinae Coryphaeis, summus in Arte Boerhaavius dedit nobis succinctam descriptionem cruditatis, coctionis, crisis, evacuationisque criticae in morbis acutis. — Thomae Glass Comment. XII. de febribus ad Hipp. disciplinam accomodati, cur. Ernest. Godofr. Baldinger Jenae et Lips. 1771. Commentatio de crisi in morbis, auct. Carol. Frid. Theophil. Ideler, Lips. 1789. Eiusd. über d. Krisis der Krankh. Breslau 1796. Comment. de Crisibus, auct. Wilh. Liebsch. Gotting. 1803. etc.

2) Oeconomia Hippocratis auct. Anut. Foesio, Genevae 1662. 1.

in aliam speciem transmutantur, vel prior morbus in alium degenerat [1]. deinde ei μετάςασις est morbi ex loco quem tenet, vel parte affecta, migratio ad aliam partem, qua de novo sedem figit; sic doloris laterum ad tenuia intestina migratio μετάςασις vocatur [2], quo sensu nos etiam saepius hoc verbo utimur. denique non solum morbi e sede quam habuit migratio, sed humorum, morbificae materiae, vel materialis causae e loco, qui isto processu affectione liberatur, in alium locum transpositus μετάςασις est. postremo, quod ex loco in Aphor. elucet, latiori significatione Hippocrates μετάςασιν sumit pro morbi solutione, ubi igitur est, quod Galeno λύσις [3]. Aliquando etiam Hippocrates vocabula μεταςάσεως et ἀποςάσεως coniungit, ut recte monet Foesius [4].

§ 4.

Quo melius vero intelligatur, quid omnino hac de re Hippocrati visum sit, non iniquum est, alias quasdam hic afferre ei usitatas denominatio-

1) Coacae Praenot. Cap. I. de frigoribus et febribus.

2) Coacae Praenot. Cap. XXIV. de morbis mulierum.

3) Aphor sect. V. 7. Galeni Com. in eundem aphor.

4) Foesius l. l. vocabulum ἀπόςασις. — I. Chr. Traug. Schlegel, de metastasi in morbis Diss. Jenae 1771. Prooemium.

nes, quas eadem fere adhibuit significatione. primum locum ἀπόςασις obtinet, cui hae omnino significationes subiacent. Ἀποςάσιες sunt humorum per effluvia quaedam emissiones et vacuationes [1]), suntque ut Galenus monet ἀποςάσιες tales ex earum solutionum genere, quae per effluxum fiant. sic nomen pro critica excretione adhibetur. Apud Hippocratem [2]) duo omnino sunt apostasium genera: ἀπόςασις κατ' ἐκροὴν, inter quam et criticam excretionem nullum fere intercedere discrimen modo dictum est, quippe quae morbos ad crisium modum solvit, et ἀπόςασις κατ' ἀπόθεσιν, quae eosdem processus, quos μετάςασις significat, in qua materia in partem aliquam pondere suo decumbit, inque eam deponitur [3]). sed et metaschematismi significatio ἀποςάσει inest, quod satis multi loci testantur [4]). Sunt igitur et

1) Galeni in lib. I. Hipp. de morb. vulg. Com. II. Ed. Ald. P. V. fol. 171. — κατ' αὐτὸν τὸν Ἱπποκράτην βουλόμενον κατ' ἀπόθεσιν ἀλλὰ καὶ κατ' ἔκρουν ἀπόςασιν γίνεσθαι· οὕτως οὖν καὶ διὰ νεφρῶν καὶ κύςεως ἔςιν ὅτε πᾶν ἐκκαθέρεται τὸ σῶμα, μεδὲν αὐτῶν τῶν ὀργάνων ἴδιον ἐχόντων πάθος.

2) Hipp. Epid. lib. II. sect. 1. Confr. Gal. in lib. VI. Hipp. de morb. vulg. Com. III. Ed. Ald. P. V. Fol. 236. initio.

3) Gal. Comm. III. in lib. VI. Epid. Comm. II. in lib. I. Epid.

4) Hipp. Epid. lib. I. status secundus. Ed. Foes. p. 944.

ἀπόστασις et μετάστασις humorum in partem aliquam illapsus et decubitus. attamen differunt sensu nonnihil teste Galeno, secundum quem id discrimen inter eas intercedit, quod ἀπόστασις iudicationem facit, omnibusque liberat aegrum molestiis, μετάστασις autem aliarum accessionum atque offensionum principium habet, cum ex loco, in quem illapsi sunt et transpositi humores, iudicatione vacuari nequeant, adeo, ut alio rursum tempore ad concoctionem corporis locus indigeat, ad quem infestantium humorum facta est transpositio [1]). Ex quibus elucet, generalius quoddam ἀποστάσει inesse, Galeno interprete, cum et significationem ἀποστάσεως κατ᾽ ἔκροην (κρίσεως) et κατ᾽ ἀπόθεσιν (μεταστάσεως) amplectatur, qua ratione veluti ἀποστάσεως species est μετάστασις. Ceterae ἀποστάσεως significationes, sicuti ad rem nihil faciunt, hic omnino praetermittendae videntur [2]).

Aliud verbum in Hippocrate obvium, quod

ἔστι δ᾽ οἷσιν οὐκ ὀλίγοισιν ἐξ ἄλλων πυρετῶν καὶ νοσημάτων ἀποστάσιες ἐς τεταρταίους ἐγίνοντο. Galeni Comm. in hunc locum. Ed. Ald. P. V. fol. 171 b. 50. φαίνεται οὐ μόνον κατ᾽ ἔκρουν ἀποστάσεις τινὰς ὀνομάζων, ἀλλὰ καὶ κατὰ μετάστασιν ἐξ ἑτέρου νοσήματος εἰς ἕτερον.

1) Gal. Comm. IV. in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. Ed. Ald. P. V. fol. 53. 10. (Galeni Op. Venet, apud Juntas 1609. Cl. VII. fol. 143 B.)

2) Vide Oeconom. Hipp. Foesii.

pari modo ad imperfectarum crisium genus videtur referendum esse, τὸ μεταπίπτειν (μετάπτωσις) est, cuius significatio ἀπὸ τοῦ μετασχηματίζεσθαι non abludit. nam de morbi in aliam speciem transmutatione effertur, quando priore morbo cessante, alter supervenit, aut prior in alium degenerat. saepius idem significare ac τὸ μεθίςασθαι et ἀπόςασθαι ex multis locis licet videas. Quod ad ipsum metaschematismum pertinet, antiquissimis temporibus hoc vocabulum ita circumscriptum est: ἄλλον ἐξ ἄλλου γινόμενον μετασχηματίζεται, et facile in pathologia locum obtinuit. Hic etiam διαδέξιες (διαδοχαὶ Galeni) nominandae sunt. de humorum ex parte migratione in aliam partem, et morborum in alios transitu praedicantur, ita ut partim ἀπόςασιν et μετάςασιν, partim metaschematismum amplectantur [1]).

§ 5.

Nunc vero, quoniam de mutationibus nonnullis morborum, sicuti eas veteres distinxerunt, summatim diximus [2]), ad ipsam iam μετάςασιν redeundum videtur. Ex allatis iam facile intelli-

1) Sprengel Diss. de metastasi imprimis lactea Halae 1792. §. 1. 2.

2) Cetera verba, quae huc referri possent, omisimus, v. c. ἀναδρομὴν, παλινδρομίαν, μεταβολὴν, ἐπιγενέσιν, ἀλλοιοτροπεῖν, κακοῦσθαι, etc. ne positos fines egrederemur.

gitur, apud Hippocratem latiorem et magis diffusam metastasibus notionem, quam apud nos subiectam esse, cum inter metastasin proprie sic dictam, materiae morbi e loco in aliam migrationem, quam verbi significationem posterioris aevi medici fere omnes amplexi sunt, inter crisin metastaticam et ipsum metaschematismum nullos certos fines constituisse videatur. ipsa verborum copia, quibus vix non unum eundemque processum designat, inter quae nullum, ut videtur, discrimen observavit, quamvis unum generaliori sensu altero usurpaverit, huius rei argumentum est. quam vicina sit, ut iam supra monuimus, doctrina metastasium crisium doctrinae, pari modo ex commemoratis apparet, ita ut *ἀπόςασις* (crisis apostatica) quae ad Galeni mentem *κρίσεως* genus est, ab una ad alteram transitum constituat. Theoria metastasium frustra apud Hippocratem desideratur. qua ratione vel causa interna efficiente morbus locum commutare, vel qua vi et quibus organis intercedentibus morbi materia ex loco suo ad alium proficisci possit, non operae pretium iudicat, coniecturas facere, vel hypotheses superstruere. raro ratiocinando simpliciter phaenomena enarrat. est enim ut Sydenhamus dicit, Hippocratis theoria nihil aliud, nisi exacta exquisitaque observatae naturae descriptio [1]. Quantopere pa-

[1]) Galeni in lib. Hipp. de Articul. Comm. lib. I. Ed. Ald.

thologia humoralis in Hippocratis scriptis fundata sit, ex eius elucet et pathologia et semiotice. sic omnia phaenomena, quae metastases vocat, in materiae morbificae mutatione quoad locum posita sunt, et eius morbi transpositus nihil aliud est, nisi morbi materiae transpositus, quae morbus ipse est, vel causa morbi proxima, aliquo humore composita. Ceterum, ut videtur, dici non potest, Hippocratem semper, neglecta partium ceterarum corpus constituentium ratione, in sola morbi materia haesisse, ut sibi horum phaenomenorum rationem redderet, cum haud difficile demonstrari possit, leges consensus atque sympathiae, quas recentiorum nonnulli ad procreandas metastases tanti faciunt, haudquaquam ei latuisse [1]). Haec phaenomena ad crisium magnum genus a veteribus referri, iam supra dictum est, et hodie quoque, ubi veterum his de rebus theoria puriori physiologia novam formam consecuta est, rem eadem via pertractare licet. Nam negari non potest, in ista vitae modificatione, quam morbum

P. V. fol. 269 b. 50. *Οὐκ ἠξίωσε γράφειν αἰτίας ἐξ ἐπινοίας, λογικῶν ἀξιοπιστότερον ἡγούμενος αἰεὶ τὸ φαινόμενον ἐναργῶς· οὕτως οὖν καὶ τὰς ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπινοίας ἑαυτοῦ τῇ πείρᾳ βεβαιοῖ, πρὶν ἡμᾶς διδάσκειν.* (Junt. Cl. VII. f. 252. B.)

1) Sic. v. c. in lib. II. Epid. Ed. Foes. p. 999. *κοινωνίην* vocat, quod nos consensum vocaremus.

appellamus, naturae conamen apparere, oppositam modificationem, sanitatem reducendi vel restituendi, quod omnes reactiones organismi in morborum decursu satis superque testantur. et sane neque alienum est, neque naturae contrarium, mutationum in acutorum morborum decursu apparentium, quibus alius morbus vel universalis vel localis exoritur, vel sedem suam morbus mutat, rationem in ipsa reactione contra exortam per inconsuetum stimulum systematum principalium disharmoniam, ut ita dicam, in isto naturae conamine, sublatum inter irritabilitatem et sensibilitatem aequilibrium restituendi, quaerere non solum, verum etiam invenire, ita, ut conamen istud vel causis externis vel internis impeditum esse, quo minus eum, quem intendit scopum consequatur, credere par sit. ubicunque enim morbi causa proxima in abnormitate mixtionis et motus materiae animalis posita, ibi virium et motuum aequilibrium suspensum est. si reactiones anomales, quae una cum ista abnormitate semper in organismo apparent, immo ipsius abnormitatis effectus sunt, ad aequandam sufficiunt materiae animalis mixtionis et motus abnormitatem, et ad restituendum virium et motuum aequilibrium, proprio tunc suo decursu morbus ad finem fertur inque sanitatem transponitur isto intercedente statu, quem lysin vocant sive crisin. si vero tanta

est

est mixtionis et motus abnormitas, ut reactiones istis provocatae atque effectae nullam valeant adducere aequationem, sed potius adaugeant virium motuumque ab aequilibrio aberrationem, qua mixtio et motus materiae animalis magis magisque destruitur, tunc a genuino suo decursu morbus deflectitur, nullo apparente stadio critico sic dicto sive resolutorio vero. exoriuntur tunc novae affectiones varii generis, cum causa morbi proxima ipso naturae conamine aequilibrium restituendi vel mutata sit, vel modificata, exoriuntur illae istis legibus, quas recentiores ex statu organismi et sano et morboso eruere partim successu conati sunt. — Eadem vi vel eodem principio, quo crises, istas quoque procreari morborum mutationes Hippocrati visum est. animadverterat enim, quod sola Natura *τὰς νούσους κρίνει*, quod eum ad vim vel principium organismo insitum ducebat, quod Enormon vocavit, cuiusque in calido innato sedem posuit. haec vis, hoc principium morbis repugnat, eos vel vincit, vel ab iis vincitur. Enormon inde ab Hippocratis aevo ad hodiernum diem usque nullo non tempore in auctoritate fuisse, quamvis externam formam, nomen scilicet, sexcenties mutaverit, omittimus, neque pluribus nonendum esse putamus, omnes post Hippocra-

tem et Galenum medicos, ad nostra fere tempora usque, paucis exceptis, praesertim qui horum vestigiis inhaeserunt, dum in morbo certamen naturae viderunt contra inimicam potentiam vel materiam peccantem, metastases pari modo ad imperfectas crises retulisse, [1]) cum sibi persuasum haberent, naturam non penitus morbum vel morbi materiam vicisse, ita, ut quod post crises relictum sit peccantis materiae, affectioni subsit metastaticae. [2]) Certamen illud naturae contra morbi materiem eleganter van Swieten exprimit in Comm. in Boerh. Aphor. [3]) „Saepe enim accidit in morbis gravioribus, non unico certamine naturam de morbo triumphare posse, sed post fallaces inducias morbum denuo insurgere, neque integre debellari, nisi, novis turbis excitatis, illud quod de morbi materia restabat in corpore, expellatur, et quidem non unica sed pluribus saepe viis exeat." [4])

1) Brendel Diss. de abscessibus per materiam et ad nervos. Götting. 1755. Metastasis est morbi translatio in alium per coctionis imperfectae modum.

2) Galeni Comm. II in lib. VI Hipp. de morb. vulg. Ed. Ald. P. V. fol. 221 b. 30. (Junt. Cl. III. f. 163. b. 19.)

3) Gerardi van Swieten Comm. in Aphor. Boerh. Hildburgh. 1754. Tom. II. §. 587.

4) Thomae Glafs l. l. p. 24.

§ 6.

Quae vero Galeni sit de metastasibus sententia, supra passim monuimus, nunc quod reliqui est breviter exponere congruum videtur. Cum Coaci senis scripta quae huc pertinent solummodo fusissimis verbis, pomposa et asiatica dictione, illustraverit, iam coniicere licebit, in re ipsa eum nihil fere immutasse, nisi systemate suo circumductus, aliam huic phaenomeno definitionem subiecerit. Nomine *μεταςάσεως* rarius quidem usus est Hippocrate, ita, ut, paucis locis exceptis, semper fere ad describendas affectiones metastaticas eum nomen *ἀποςάσεως*, cui saepius verba *κατ' ἀπόθεσιν* adiunxit, adhibuisse invenire possis. quod discrimen inter *μετάςασιν* et *ἀπόςασιν* observaverit, supra commemoravimus, [1]) neque fusius exponamus necesse est, *μετάςασιν* vel *ἀπόςασιν* ab eo pari modo esse ad *ἀτελέων κρίσεων* genus relatas. ex permultorum locornm comparatione apparet, Galenum quoque metaschematismi notionem *ἀποςάσει* tribuisse, quod Hippocratem fecisse demonstratum est. sic dici potest, Galenum istum statum sub metastasi (apostasi) intellexisse, quo morbi ex loco quem primum occupaverant

1) Galeni Comm. IV in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. Ed. Ald. P. V fol. 53. 10. (Junt. Cl. VII. f. 143. B.)

transgrediuntur in alium, (quod saepius διαδέξεις, μετάπτωσιν vocat Hippocrates, διαδοχὰς Galenus) vel quo causa morbifica in parte quadam defigitur sive cum decubitu (κατ' ἀπόθεσιν) transfertur [1]) (quod μεταῤῥύσεις saepius denominat Galenus) ita ut morbum denuo procreet, et iterum coctione indigeat, qua sola sanitas restitui possit. si enim humores ad corporis colatoria deferuntur, ἀπόστασις est, ut vidimus, κατ' ἐκροὴν, quae huc non pertinet.

Nunc nobis exponendum est, quibus causis internis, quibus viribus Galenus metastases fieri velit. nimirum iisdem, quibus crisin, cuius theoria hic plane omittenda est, cum extra fines huius speciminis posita sit, et si ingentem Galeni quae huc spectat doctrinam, qua fere suffocata videtur doctrina crisium, accumulares, vix toto volumine contineri possit. Pneuma eius omnes perficit mutationes, cum in statu sano, tum in morboso, cui vero comites dat vires istas famosas attractricem, retentricem, alterantem et repultricem. quo modo sibi de metastasium decursu rationem reddat, ex loco in medio fere libro de caus. morb. elucere videtur, ubi demonstrat, in morbis naturam in-

[1]) Galeni in lib. II. Hipp. de morb. vulg. Com. II. Junt. Class. III. p. 208. 16.

utilem materiam ad ignobiliores partes deponere, depositionis tamen modum non satis explicatum esse asseverat. Ex Ed. Junt. [1]) verba eius haecce sunt: „Quis sit depositionis modus, non adhuc est dictum; rationem enim quandam, atque mentem naturae tribuemus, si ita simpliciter ipsam, quidquid inutile est, deponere affirmemus ex nobilibus partibus ad ignobiles. Sed quod quidem in morbis bonae iudicationes ab aliqua huiuscemodi facultate fiant, manifeste apparet. Quis autem generationis modus his iudicationibus sit, nondum maiores nostri exacte docuerunt: cum neque potentias naturales, de quibus nos in aliis commentationibus egimus, quot numero et quaenam existant, et quod singularum sit opus, satis explanare potuerunt. Sed nulla sane difficultas, suppositionibus, quas in eisdem commentationibus demonstravimus, utentes nunc, de hisce omnibus transigere. Cum quatuor sint numero potentiae, quarum quaelibet sive animalis, sive plantae particula particeps est; et cum una quidem ex iis attrahat id, quod ei convenit, alia autem retineat, alia alteret, alia, quod superfluit, excernat; et cum materia ipsa superflua duplex

1) Ed. Junt. Claſs. III. p. 8. cap. 6. Ed. Ald. P. III. de caus. morb. fol. 6.

genere existat, aut enim quantitatis ratione, aut qualitatis; cum denique omnium corporis partium non aequale sit robur, quippe principaliores partes statim ab initio natura maiore robore dotavit; nihil mirum, si in impuris corporibus, in quibus plurima inutilis materia redundat, ad ignobiliores partes aliquid confluat. Nam superfluus humor, ut qui a partibus omnibus robustioribus expellatur, ac nullibi consistere queat tandem ad imbecillimam omnium pervenit partem." Hanc vero saepissime cutem esse prolixe demonstrat, qua in re posteriorum haud pauci ei assentiunt. Et paullo inferius dicit: „Multa ab initio instrumenta, expurgandae materiae inutilis gratia, natura molita est, et haec quidem sola ad tuendam sanitatem sufficiunt, cum nullam corpori labem is, qui nobis circumfunditur, aër adiecerit, aut delinquentis ratio victus humorum vitiosorum redundantiam immodicam in corpore non effecerit. Nam cum talis acciderit error, non amplius naturalia sufficiunt instrumenta, ad excrementi multitudinem expurgandam. ideoque tunc accidit, ut fluxiones a valentioribus impulsae partibus, ad imbecilliores irruant. Illud quoque nonnunquam usu evenire solet, ut, cum stipati fuerint hi per quos expur-

gantur, meatus, ad alia confluant loca." Sed haec hactenus. [1])

§ 7.

Vides Galenum, quod rem ipsam attinet, idem fere de metastasibus cogitasse, quam Hippocratem. magni fecisse videtur vasa, quibus intercedentibus humorum fluxiones efficerentur. sed gravitatem quoque humorum, dolorem immo irritationem partis, in quam irruunt attracti quasi stimulo humores, communionem naturae membrorum ipsam, sub qua consensum intelligit, aliosque status, quos inter disponentes metastasium causas pathologi referunt hodie, Galenum respexisse, vides ex loco in Comm. in Hipp. Epid. [2]) Communionem igitur naturae organorum respicere solebat Galenus, dum metastasium theoriae insudaret, ut Sprengelius dicit, qui communionem istam naturae organorum nil aliud esse affirmat, nisi virium harmoniam, sive sym-

1) Confr. Galeni in lib. III. Prorrh. Hipp. Comm. III. Ed. Ald. P. V. f. 105 b. (Junt. Cl. IV p. 185. 38). In Progn. Hipp. Comm. II P. V f. 73. b. 40. f. 74. (Junt. Cl. IV p. 205) Comm. III. P. V f. 78 b. (Junt. Cl. IV. f. 209 b. 23). In lib. III. Hipp. de morb. vulg. Comm. III. P. V. f. 208. 40. (Junt. Cl. III. f. 149 b. 76).

2) Galeni in lib. VI Hipp. de morb. vulg. Comm. III. Junt. Cl. III. f. 178. b. 41. Op. omnia Galeni Basileae 1542 Froben. T. III. p. 650.

pathiam nervosam, nervorum commercio fundatam, addens naturam apud philosophum illum medicum nunquam alio sensu accipi, quam complexum virium corporis fundamentalium. [1]) Quid impedit, quo minus in Galeni scriptis recentiorum de metastasibus doctrinam delineatam esse dicamus. eius verbis nos significationem ipsi alienam supposuisse, ne dicas. — Omnibus probe perpensis, metastasis secundum Hippocratem et Galenum, missis ambagibus, nihil nobis aliud videtur, nisi ex alio natus morbus novus, cuius causa in sede latet mutata materiae morbificae. [2]) quod si tenuissent posteriores, metastasin semper considerandam esse tanquam morbum novum, natum ex alio, nimirum naturae operationibus iam prius accessissent propius. plane enim inter se diversa phaenomena in morbis, immo morbos diversos ipsos, quos sub metastasis denominatione intellexerunt, accuratius tunc distinxissent pathologi, magis novi morbi caussis eruendis inhaerentes, quam vias migrationis materiae morbificae haud subactae investigantes. Affectionem metastaticam novum morbum esse, huic quidem recentiorum nonnulli annuerunt sententiae, quorum

1) Diss. de metastasi §. 10.
2) I. Ch. Tr. Schlegel. l. l.

alii vero voluerunt, novo isti morbo cum praecedente nihil esse commune. —

Tam ingens esse discrimen, ut alii contenderunt, inter veterum et recentiorum de metastasibus doctrinas, si omnia bene tecum computaveris ac perpenderis, aevoque quae ei sunt reddideris, vix dices. quae enim isto tempore humanae mentis captui necessario abscondita fuerunt, ea hodie quoque nobis maxima ex parte ignota sunt. Eo praecipue doctrinae istae veterum et recentiorum differunt, quod veteres magis productum vel morbi effectum (materiam sic dictam morbificam, humoresque) respexerunt, dum nostris temporibus magis disquirendis phaenomeni ipsius causis internis pathologi insistunt, phaenomenon legibus accomodantes, quibus omnino actiones organismi vivae succedant. Et quis negare potest, rem istam hac via melius pertractari, nosque veritati iam propius accessisse, dummodo neque experientiae uno latere pathologi, neque altero fines transgrediuntur scepseos rationalis. Quantopere enim impedivit theoria ista, qua humoribus peccantibus morborum causa inesse credebatur, quo minus naturae accommodatius medicinae systema exoriri potuerit, notum est, ita ut, simulac vias investigare, quibus humorum migratio procedat

destiterunt pathologi, quam maxima metastasium doctrinae incrementa exorta sint. Quamdiu medici eo sese continuerunt, ut ab iis solummodo quae viderunt ad ea quae abscondita sunt caute progrederentur, miro modo fere semper consenserunt. et compares obsecro aequo animo cum veteribus, qui hodie, quamcunque hypothesin abhorrentes, hanc doctrinam scribendo illustraverunt. nonne potius veterum observationes confirmant, stabiliuntque, quam quod eas invertant? nonne penitus in re ipsa iis assentiunt, sin etiam ad alia principia phaenomenon reducant, cum tota post tam longum temporis spatium mutata esse debuerit physiologia? vim etiam consideres, causamque internam, quae metastasium phaenomeno subiacet, quid tandem mutatum vides? nonne hic et illic vires obscurae obviae sunt, quas mutato nomine, neque mutabis neque reddes perspicuas. Attamen ea recentioribus laus non est derogandа, quod facta inter mutationes istas morborum exacta distinctione, denominationibus singulis certas notiones subiecere.[1]) Ceterum ne suspicio-

[1]) Ideler l. l. Brandis l. l. Hebenstreit Diss. de Metaschematismo morb. resp. Meyer, Lips. 1747. Sprengel, Handb. d. Path. eiusd. Diss. de Metastasi. Diss. de Metastasi auct. Joh. Theod. Adolph. Herzog, Jenae 1803 etc.

nem nobis comparare videamur, ac si veterum doctrinae, quae nostris demum temporibus purior, naturaeque legibus aptior evasit, inserviamus, recentiorum scripta laude iusta ac debita defraudantes, ad subsequentis temporis scriptorum praestantissimorum unum vel alterum iam nunc nos convertemus.

§. 8.

Quod Galenus Medicinae systema constituerat, id quamvis serius varia et astrologorum et theosophorum ceterorumque inquinatum superstitione et nugis, per quatuordecim fere saecula apud medicos auctoritatem habuit. sic metastasium quoque doctrina quam habuit formam retinuit, nisi hoc vel illo systemate exoriente necessario paullulum transformabatur. attamen vix alia est hoc in tempore nisi veterum praesertim Galeni sententia in vigore. Arabum iste Abhomeron crisin pugnam vocat, quae accidit inter virtutes corporis et humorem, qui causa aegritudinis existit. [1]) ex quibus elucet, metastasin secundum eum exitum esse velitationis inter morbum et naturam, quae illum non penitus subegit. Simili

1) Abhomeron Abynzohar in lib. Theizir lat. ed. Lugd. 1531. 8. lib. III f. 109. cap. II.

modo omnes fere insequentis temporis medici rem aggrediuntur. sic Fienus: [1]) „Translatio omnis seu crisis per abscessum fit a vincente natura, sed non ita perfecte vincente, sicut in crisi per expulsionem, idque vel ob naturae debilitatem, vel materiae pertinacitatem et crassitiem, vel viarum angustiam aut densitatem."

In decimo septimo saeculo maximam vim ad Galeni auctoritatem invertendam, quam iam prius Paracelsus nonnihil labefactaverat, habuerunt systemata ista chemica, quibus actiones omnes in organismo ad chemicos processus redigerentur. Helmontius nodum sane satis astute solvit, si Paracelsi Archeum revocans, morbum omnem primordialiter, immediate ac causaliter dependere dicit ex Archeo errante. Sennertus, qui chemicam sectam cum Galenicis combinare studuit, veterum de metastasibus theoriae deditus est. Qui serius Sylvii systemati, Helmontii et Cartesii systematibus fundato, innituntur, omnia phaenomena in morbis modo mere chemico definire conantur. sic Thomas Willis, Paracelsi fere sectator, cum crisis malae causas exponit. [2]) Attamen isto

1) Thomae Fieni Semiotice Lugd 1664. 4. p. 136. 137.

2) Thomae Willis Opera omnia. Genevae 1676. 4. p. 118.

tempore, ut videtur, quod serius praecipue factum est, circuitus sanguinis, quo detecto metastasium theoria non potuit quin valde mutaretur, magis magisque rationem habebant auctores, ut modum ipsum depositionis materiae definirent. huc pertinent Ettmülleri verba, quibus rationem modumque demonstrat metastasium: [1]) „Metastases fiunt vel partium non admittentium culpa, vel humorum non invehentium vitio. — Partes ineptae sunt, dum illarum pori et meatus angustiores succos non admittunt, aut retinent. — Vitio vero humorum contingit metastasis, dum hi nondum secreti aut fixati sunt; sic enim secreta pars, partem transeundo, huic adhaeret. Quamdiu enim invicem permisti sunt, etiam vias angustiores permeare possunt; quando vero praecipitatio quaedam facta est, praecipitatum haeret, alterum transgreditur; hinc tales depositiones fiunt saltem post coctiones et praecipitationes."

§. 9.

Apud insequentes auctores metastasium theoria varia est, sicuti istos vel huic vel illi systemati deditos vides. ubicunque fusius de metastasi

1) Michaëlis Ettmülleri Opera med, Francof. ad Moen. 1708. 1. Tom. II. P. II. p. 276.

agunt, conamen plane elucescit, vias per quas fieri possit inveniendi, naturaeque operationes ipsas perscrutandi. Mortonius, qui causam morborum, praesertim acutorum et epidemicorum in affectione Spirituum Animalium ponit, detrimentoso miasmate in eos, non autem in humores [1]) agente, metastasin hoc modo definit: „In sanguine tota humorum massa confunditur, celeri et non interrupto motu agitatur, et per vasa innumera aequaliter diffunditur, adeo ut materia morbifica tam subito separari nequeat, et ad partem aliquam singularem determinari: Spiritus autem morbo perculsos, pro genio suo volatili et versatili, alternatim iam hanc, iam illam partem, remotam licet, impetu quodam petere, distendere, vellicare vel spasmodice constringere, ibidemque morbum huiusmodi vagum producere, quid impedit? Cum sanguinem et humores per eam partem traiectos alterare valent, iisque characterem morbosum imprimere. atque haec est ratio metastaseos morborum." Quam Mortoni metastasium theoriam, si quod ipse Spiritus Animales, actionem vocas nervorum, partemque pathologiae humoralis, quae ei inest, detrahis, etiam ante hos

[1]) Richardi Morton Opera med. Lugd. 1737. 4. T. I. Apparat. curat. morb. universal. p. 14. 15.

proximos annos florentem invenire possis. compares quae infra facile comparationem admittunt. — Sydenhamus, quem ut Hippocratem, sola ducit experientia, translationem ipsius materiae morbificae agnoscit, nulla adiecta phaenomeni theoria. [1]) sic ceterorum non pauci. Ipse Boerhaavius in veterum theoria nihil mutasse videtur. metastases ad crises imperfectas reducit, [2]) et si Swietenii sententia, qui hac de re prolixius agit, ab ea praeceptoris non abludit, eas per vias fieri autumnat circuitus sanguinis. Praecipimus quam Swietenius de decubitu critico rationem profert: [3]) „Si autem materia critica, ad locum quendam delata, tantae tenuitatis foret, ut libere per vasa transire posset, patet facile, quod tunc nec haereret in loco, nec accumulari posset. unde apparet, quod tantae molis debeant esse particulae

1) Thomae Sydenham Opera med. Genevae 1757. T. I. p. 528 ubi materia podagrica in pulmonum lobos transfertur.

2) Hermanni Boerhaave Praelect. acad. ed. Albert. Haller, Taurini 1742 4. in signis morb. Vol. V. p. 203. (Institut. med. §. 950. 955.) — si vero omnia haec non adsint (signa bonae criseos) sed tantum quaedam, eaque nec prefecta, tum cognoscitur materiem male criticam vagam huc, illuc, ferendam, parituram varia phaenomena, quae Crisis μεταςατικὴ appellatur.

3) van Swieten l. l. §. 593.

illae criticae materiae, ut vasa obstruant, vel dilatata minorum vasculorum orificia ingrediantur errore loci, per quorum ultimos fines transire nequeant, vel denique ruptis vasis effundantur in cava vicina naturalia vel morbosa." Sane eadem est, quam prius iam alii docuerunt. Quamvis isto tempore functiones vasorum lymphaticorum iam satis notae fuerint, Swietenius tamen per ipsas venas resorptionem fieri posse credidit, quod ex l. c. apparet: „Verum in febribus aliquando observatur, verum pus, et magna quidem copia, deponi satis subito in quasdam partes corporis, atque inde eductum fuisse, licet nulla inflammatio in his partibus praegressa fuisset, et nulla signa docuissent, in aliis corporis locis pus illud collectum latuisse prius, quod dein venis resorptum ad alia loca deponi potuisset." Dicat aliquis, venas istas venas esse minorum generum, sed comparetur cum his alius locus, [1]) ubi causa materialis pleuritidis per venam azygon in tracheam pervenit. ceterum istam puris depositionem, materialis causae febris, per febrem in puris analogam massam conversae, collectionem esse censet. sed mittimus Swietenium, cum infra etiam eius fiet mentio.

§. 10.

[1]) Vide l. l. Tom. III. §. 888.

§. 10.

Friderici Hoffmanni de metastasibus sententia nunc locum hic habeat. Metastasin circumscribit mutatam morborum seu potius causarum morbificarum sedem [1]. Verba eius haecce sunt: „Per metastasin volumus perfectam et plenam intellectam, quae est, quando materia vitiata et morbifera e sede sua appropriata, ad aliam transfertur, et partem suam quam semel occupavit consuetam deserit, funestoque plerumque eventu ad nobiliores et internas partes transponitur." Sed etiam salutiferam metastasin agnoscit, quando materia morbi a nobilioribus partibus ad ignobiliores propellitur. maxime cutem dicit perniciosis metastasibus patere, quam igitur universale et publicum materiae ex sanguinis et humorum massa superfluae et effoetae excernendae emunctorium vocat. [2] Ista quidem sua definitione a pathologiae humoralis sectatoribus non deflexisse videtur, quod etiam re vera, ut ex quavis pagina elucet, non fe-

1) Frid. Hoffmanni Diss. de metastasi, resp. Samuel Sontag. Halae 1731. Recus. in Frid. Hoffmanni Medicina rationali. Francof. ad Moen. 1738 Tom. III. p. 238. Cap. XI.

2) Hoc quidem ei cum Galeno commune est; Gal. de Caus. morb. Junt. Cl. III. p. 8. cap. 6. Ed. Ald. P. III. fol. 6. Confr. Sprengel Diss. de Metastasi impr. lactea §. 15.

cit. sed systemate suo mechanico-dynamico nisus aliam necessario processui rationem subiicere debuit. Omnia naturae microcosmicae phaenomena ex evidentibus et in sensus ac rationem incurrentibus mechanicis et physicis causis optime explicari posse contendit, [1]) quare sententiae non annuit, qua metastases pro actibus naturae defensoriis, erroneis licet, habeant, quod ii faciant, qui corporis partibus motricibus principium quoddam internum sensu vitali et morali praeditum, quod motus omnes dirigat, adscribant. [2]) Ipse vero in definienda retrogressionis morbi ratione tum potius moratur, quam quod omnino theoriam metastasium fusius constituat. retrogressio vero fit secundum eum, ipso motu ex superficie corporis ad interiora converso, cuius indicium evanescentia est materiae morbificae (v. c. exanthematis.) quo clarius quid velit appareat, haec adiicit: [3]) „Sicuti fluidorum motus progressivus, qui ab in-

[1]) Diss. l. §. 28.

[2]) Quibus verbis Stahlium petiisse videtur. — Nos, in homine ab una anima omnes actus et motus perfici posse, a priori Ratione: acta perfici, a posteriori Experientia et Ratione, non supponimus, sed demonstramus. Georg. Ernest. Stahl, Propempt. inaug. de Synergia naturae in medendo.

[3]) Diss. l. §. 30.

terioribus vi et nisu cordis ac arteriarum ad superficiem corporis extimam fertur, unice vitalis et salutaris dici meretur, quia huius beneficio structum et mixtum corpus, a materia inutili effoeta et corruptionem moliente, iugi difflatione et perspiratione liberatur; ita vix aliud quippiam existit, quod interitum minetur, ac quando motus hic humorum imminuitur, sistitur, immo resistentia et renisu in fibris et angustissimis subcutaneis vasis facto, resilit quasi et intus convertitur." etc. sic paullo inferius aliis verbis docet, materiam exanthematicam corruptam ex partibus extremis per tonum ac motum cutis quasi peristalticum inversum ad viscera translocari.

§. 11.

Antequam Hallerus naturam telae cellulosae functionesque nervorum luculentius exposuerat, metastases a vasis circuitui sanguinis inservientibus perfici ab omnibus fere creditum est, id quod partim ex dictis consequitur. Halleri vero tempore aliae viae patefactae sunt, quibus depositio humorum materialis fieri posset, praesertim cum uni et alteri iam dubia de veterum metastasium doctrina exorta essent. Hallerus docet, ex qualibet telae cellulosae sede in quamlibet regionem

viam esse patulam, ita ut humor quicunque in partem aliquam corporis effusus, facile in omnem aliam partem, etiam remotissimam, per cellulosam telam fluere et moveri possit. multis istud illustrat exemplis. [1]) Haud difficile sane haec adnotatio ad istos pathologicos processus explanandos in usum trahi potuit a pathologis, praesertim cum ipse Hallerus, et partim quoque Swietenius, viri tantae auctoritatis, depositiones metastaticas veterum per istas vias perfici crediderunt. [2]) Swietenius enim, quem sibi consentientem Hallerus nominat, pari modo pronus est sententiae, metastasin materialem per cellulosas cavernulas fieri, cum dicit, pus in cavo mediastini posteriori collectum proprio pondere sibi miras vias facere posse, et in longe dissitis corporis locis tumorem purulentum excitare. [3]) Pondus humoris vel liquoris effusi et Hallero vis est, qua movente migratio peragitur. Quamvis multi in Halleri partes ierint, diu tamen non latuit, longe alium processum metastasibus subesse debere. quid enim isti sententiae obstet, facile rem accuratius perpen-

1) Elementa physiolog. Vol. I. p. 12.

2) Elementa physiolog. Vol. I. p. 14.

3) van Swieten l. l. Tom. III. p. 669.

dentibus sese offert, ceterum cel. Sprengelius argumenta, valde quidem probanda, attulit, quae rem alio modo fieri convincant. [1]) Sed aliud est viri tanti nominis argumentum, quo hanc pathologiae partem, non dico illustravit, sed ad naturae congruentes leges reduxit, istud nempe, quo docet, fere quemlibet humorem per quodcunque colum separari posse, [2]) quod nisi primus proposuit, certe tamen primus fusius et accuratius pertractavit. Quo argumento, naturae probato, omnes ex pathologia humorali petitas metastasium theorias, quas necessario physiologia purior iam in dubitationem vocaverat, non solum labefactavit, verum etiam subruit. nulla enim nunc opus fuit vera humorum migratione, nullo transpositu. quam prius saepius neglexerunt, partium solidarum rationem, nunc habuerunt pathologi. senserunt affectionem partium solidarum communicatione transplantari debere, naturam metastasium hac in communicatione positam, ipsam vero depositionem huius esse sequelam. Hallerus quidem hoc argumento ad definiendam metastasium

1) Handbuch der Pathologie von Kurt Sprengel. Leipzig 1802. Th. I. §. 516.

2) Elementa physiolog. Vol. II. lib. VII. sect. I. p. 369. §. IX.

rationem haud usus est, sed posteriorum non pauci eo innitentes totum systema istarum morborum mutationum construere conati sunt, et nonnulli applausu. At istud quod eodem paragrapho Hallerus quasi iam diu notum atque usitatum adiicit atque exacte demonstrat, aliam excretionem ab alia compensari, sane res est magni momenti, ita, ut qui hodie ob probandam de metastasibus commentationem laudibus extolluntur, nihil fere re vera fecisse videntur, nisi quod ad Halleriana ista verba commentaria scripserunt. Jure, ut opinor dici potest, novum istarum rerum ordinem ab Hallero originem ducere. invenis etiam inde ab eo passim in scriptis medicis, quae nostris temporibus paullulum transformata iterum effloruerunt.

§. 12.

Serius tamen quod praeparaverat Hallerus, a pathologis ad definiendam metastasium rationem in usum tractum est, ita ut quae iam ante eum familiaris esset, etiam post eum remanserit opinio, qua per vasa lymphatica humorum transpositus metastaticus perageretur, [1]) et quamvis cognitio

[1]) Praeterea cognitio systematis lymphatici eiusque functionis in statu corporis morboso satis superque docet, me-

absolutior huius systematis haud difficile docuisset, talem transpositum per ista vasa effici non posse, diu tamen a pathologis illi systemati ad peragendum demandatae sunt metastases. Optime Sprengelius huic sententiae repugnat. [1]) Sed cum dilucide demonstratum esset, talem humorum migrationem per vasa lymphatica non fieri posse, nisi aliis ramis retroverso quidem, aliis vero motui proverso humorum inservientibus, ad vasorum absorbentium motum retrogradum confugit Darwinus, [2]) qui permulta exempla adducebat, propositaque via explanare conabatur, quae ad metastases vel potius functiones organorum vicarias, quales tam circumspecte exposuit Brandisius,

tastases plerumque ministerio vasorum absorbentium, dum materiam morbosam excipiunt, et a loco ad locum ferunt, perfici Histor. syst. salivalis Diss. inaug. med. auct. Joh. Barthol. Siebold 1797. p. 71. — Maximilian Stoll Rat. med. Viennae 1788 Tom. III p. 360. Latex biliosus e tumentis brachii tela cellulosa profluens, a depositione fuerat ipsius bilis resorptae, et ad brachium delatae.

1) Sprengel in Pathologia I. §. 513.

2) Zoonomie von Erasmus Darwin, übers. v. J. D. Brandis. Hannov. 1795. 8. Th. I. Abth. 2. p. 29. — Diss. de metastasibus lacteis auct. Frid. Gotthilft Voigtel. Halae 1793. p. 18.

referenda sunt. [1]) Quod retrogradum motum vasorum absorbentium attinet, dicit, in morbis nonnullis humores, qui vasis lymphaticis vehantur, valvulis licet obstantibus, motu tamen uti posse retrogrado. cum enim valvulae istae in vasis sint, propria vita gaudentibus, immo ipsae vita gaudeant propria, et cum valvulae et vasa ista ad motus suos normales perficiendos facile irritari possint, fieri posse, ut, si in nonnullis morbis vasa et valvulae vel ad innormales eosdemque fortes motus irritentur, vel paralytice afficiantur, ipsa humorum in vasis absorbentibus retrogressio locum habeat. [2]) Attamen argumenta ipsa, quibus Darwinus adiutus talem humorum retrogressionem docuit, non satisfaciunt, quam ob rem paullo post permulti exstiterunt, qui talem systematis lymphatici omnino denegaverint functionem. [3])

[1]) Sic vasis lymphaticis cutaneis fortius absorbentibus, eodemque tempore vasis, quae viscera uropoëtica petunt, motu functis retrogrado, diabetes progignitur; (l. l. p. 58) sic admisso refrigerio vasa illa vim suam quasi amittunt, simulque pro illa qua vasa lymphatica exstructa sunt sympathia, motus vasorum absorbentium, quae ad intestina repunt, retrogradus fit, et exoritur diarrhoea. (l. l. p. 60) etc.

[2]) Darwin l. l. p. 37. 38. Sprengel Diss. l. §. 14.

[3]) Sm. Th. Soemmerring de morb. vasor. absorbent. corp. human. Francof. 1795. 8. multis locis. Kurt Sprengel Path. l. §. 515. Brandis l. l. §. 17.

§. 13.

Ita factum est, ut, cum haec quoque via intercepta esset, aliam quandam aperiendi pathologis necessitas imponeretur. Cel. Sprengelius theoriam, haud novam quidem, proposuit, cum singularum partium sympathiam nervosam respiceret. [1]) Metastasis ei conversio est morbi universalis in localem, sive transmigratio morbi ex uno loco in alterum. — [2]) Humores secreti vasorum lymphaticorum officio resorbentur. a glandulis lymphaticis excepti, transmutantur, decomponuntur atque assimilantur, quod assimilari nequit, eiicitur. ita humores in lympham vel serum transmutati sanguini, quem mutare minus possunt, inducuntur. Causa vero, quae resorptionem et retrogressionem secretorum humorum provocavit, sola sua in partes irritabiles ac sensibiles actione id efficere potuit. hae igitur primario afficiuntur, si talis humorum retrogressio fieri debet. sensatio ipsa aegroti huius rei argumentum est. horror, dolor, tensio in mammis, ex quibus lac post causas nocivas retrogreditur, solito prius apparent, quam ipsa retrogressio animadvertitur. Quae mu-

1) Sprengel Diss. de Metastasi etc. Halae 1792. Eiusd Handb. der Patholog. Th. I. §. 517 — 519.

2) Sprengel Path. Th. I. §. 187.

tationes, cum partim in ipso systemate nervoso sedem habent, partim primario fibras irritabiles, sed tamen secundario systema nervosum afficiunt, sese communicent necesse est, quae communicatio nervis peragitur. Partes istae, quae ob statum irritatum vel atonicum disponuntur ad tales affectiones, vel nervis coniunctae sunt, similem nunc experiuntur affectionem, ac partes prius affectae, qua ad similium humorum secretionem disponuntur. cum nunc quaestio sit, unde partes sympathice irritatae materiam ad has alienas secretiones demant, Hallerianum istud argumentum affert, secundum quod fere quilibet humor per quodcunque colum separari possit. [1]) Sic in statu pathologico omnis pars connexu suo sympathico cum aliis organis secretoriis disponitur, ut quemcunque secernere possit humorem. suppressa secretione cutanea diarrhoea exoritur, quia cutis nervi refrigerio irritati, nervis tubi intestina-

1) Neuropathologi igitur a pathologis humoralibus, quod definiendas metastases attinet, eo differunt, quod alia organa eligunt, quibus motus organici communicatio peragatur. Humoristarum alii volunt, materiam morbificam ipsam, per vasa sanguifera vel lymphatica transpositam, nervos vel partes irritare, atque ita disponere, ut alienam secretionem producant; (Diss. de febris intermitt. metastasibus, auct Chr. Jacob Vogel. Götting 1775. §. 8.) Neuropathologi id soli nervorum actioni tribuunt.

is irritationem communicant etc. Organa specifico modo sympathice irritata, specificam quoque secretionem efficiunt. — Quid huic theoriae veri insit, non est quod multis hic exponamus verbis. [1]) ceterum putamus Cel. Sprengelium multum ad illustrandam metastasium doctrinam contulisse, eo praesertim, quod nervorum actionum, immo potius partium solidarum functionum rationem habuit, quamvis, quae protulit passim in priorum scriptis contineantur, si unum alterumve theoriae eius paullulum mutare velis, iis eum consentientem vides, quorum commentationibus haec pathologiae pars nostris temporibus inclaruit.

§ 14.

Quae b. Reilius hac de re in Pyretologia [2]) protulit, hisce fere amplectuntur. Metastasin istum statum dicit, quo morbus ita finiatur, ut in alio organo nova priori vel similis vel aliena succedat affectio, quae connexu gaudeat cum priori, quam accessu suo dissipet, quae aegritudinum successio, ea peragi videtur lege, qua actio a vi vitali dependens cessat in organo, simulac in al-

1) Brandis l. l. §. 13.

2) Erkenntn. u. Cur der Fieber B. I. §. 122.

tero augetur. [1]) Nervorum sympathia [2]) et actionum animalium associatio, [3]) ei videtur esse ratio, qua intercedente istos processus peragat natura. Jam prius dilucide sententiam suam his de rebus dedit, [4]) contendens, metastases plerumque haudquaquam ex migratione sed ex nova secretione humorum morbosorum explicandas esse, quippe quae fundatae sint in actione systematis nervosi, qua, si secretio humoris alicuius in organo impeditur vel tollitur, in alio organo, quod cum priori nervis intime coniunctum est, nova istam compensans orditur. Quamvis multa contra hanc theoriam prolata sint dubia, tamen verum quod ei inest stabit integrum, nulla theoria

1) Archiv für die Physiologie B. I. Hft. 1. p. 153.

2) Archiv für die Physiologie B. I. Hft. 1. p. 109. Brandis l. l. §. 13.

3) Brandis in l. l. §. 14. contendit, neque legem associationis motuum animalium, a Darwino propositam, ad explananda haec phaenomena aliquid facere, neque antagonismum virium vitalium, (l. l. §. 15) cum in ista lege sit fundatus.

4) Reil v. den Versetzungen der Krankheitsmat. bes. v. den Milchversetz. Jour. d. Erfind. Th. II. St. 7. ibi quoque dubia contra veram humorum migrationem profert. pari modo St. 6 eiusdem tomi. Confr. Erkenntn. u. Cur d. Fbr. B. I. §. 122. — Beitr. zur med. Klinik v. Ernst Horn Th. II. Braunschweig 1809. critica in veterum de metastasibus theoriam. —

penitus omnes, permultos istos a se diversos status pathologicos, qui sub denominatione metastasium intelliguntur a pathologis explicare valet, non dico definire, quid enim definire possimus.

§ 15.

Nunc vero ad Perill. Hufelandium nos convertamus liceat, qui ab omni liber hypothetica praesumptione rem aggrediens, phaenomena ista ad leges reducit, quibus organismi actiones peragi observamus. Docet antagonismum non in solis musculis apparere, sed ubique in organismo deprehendi. fundatum esse in harmonia virium et motuum, in quorum aequilibrio omnis recta vivendi ratio organisationis posita sit. nec minus quam aequilibrium istuc necessariam esse organismo, magnique momenti, vim illam aequilibrium, si sublatum sit, restituendi, quam antagonismum virium ac motuum appellat. est igitur lex antagonismi haecce: Omnis aequilibrii sublatio, non solum motuum, sed etiam virium, incitationes et motus oppositos aliorum organorum ac virium provocat, quibus aequilibrium restituitur. sic actio suppressa vel diminuta organi vel systematis cuiusdam auctam actionem aliorum organorum, et eius actio aucta diminutam actionem,

vim vitalem diminutam aliorum producit. Actionem suppressam organi cuiusdam adauctam actionem alterius provocare, hanc irritationem antagonisticam clarissime videmus in organis secretoriis. suppressio vel diminutio secretionis alius, evocat antagonismum, auctam actionem aliarum. his in principiis omnem ponit de metastasibus doctrinam. [1]) Morbus igitur metastaticus exorietur, quando normalis vel morbosa actio (haec sine sublatione causae remotae in organisatione latentis) sublata vel suppressa est, quo conamen incipit in organismo, hanc actionem vel restituendi vel per aliam supplendi, neque sanitas prius restituitur, quam hoc factum est vel vitium in organisatione, quod conamen istuc nutriebat, sublatum est. [2])

§. 16.

Simili vel potius, quamvis repugnet, eodem modo, ut nobis quidem visum est, Cl. Brandisius metastases explicare studuit. ipse ita profitetur: [3]) „Certis functionibus singulorum organorum, vel

1) Ideen über Pathogenie v. D. Ch. Wilh. Hufeland. Jena 1795. 4. p. 191. 195. Eiusd. Syst. de prakt. Heilk. B. I. multis locis.

2) Syst. d. prakt. Heilk. B. I. p. 388.

3) Brandis. l. l. §. 2.

totius cuiusdam systematis, diminutis vel omnino suppressis, vel ad tuendam organisationis integritatem non sufficientibus, in aliis organis aliarum functionum vivae exoriuntur actiones, quae diminutione vel suppressione illarum provocatae, easdem iterum restituunt." Inter vitae functiones ita distinguit, ut primigenias separet actiones ab istis vicariis. Omnem theoriam quae hypothesibus superstructa sit, fugiens, monet, ultra observationis fines positum esse, solaque forsitan analogia coniici posse, utrum materiale sit irritamentum, quod ab organo cuius functiones debilitantur, ad organon vicarium proficiscatur, an hoc phaenomenon potius nervorum actio, vel tertium quid (vis naturae medicatrix, antagonismus virium vitalium) producat efficiatque. Quae vero primigeniae sint functiones, quibus attenuatis vel suppressis vicariae progignantur, cuius hae sint naturae, quibusque succedant legibus, omnia haecce putat observationi nostrae concessa esse. Organismi functiones primigenias secundum Platnerum distinguit in tales, quae voluntatis potestati subiectae sint, et tales quae non sint. his adnumerat, quae alendae vicissitudini materiae organicae perpetuae praesunt, functiones organorum secretoriorum sensu latissimo, quas necessarias

vocat. eas solummodo, diminutas scilicet vel suppressas, vicarias functiones sequi asseverat. Inter necessarias istas refert secretiones omnes corporis in statu sano, secretiones quae temporis longinquitate necessariae factae sunt, irritamentorum morbosorum et quidem specificorum effectus in organa secretoria, addens, omnem vicariam functionem necessariam fieri, ita ut, paucis exceptis, haud supprimi possit, nisi restituta necessaria, vel exorta nova. Qualis in omnibus organismi actionibus vis vitalis sese manifestat talis quoque in perficiendis metastasibus animadvertitur.

Alii adhuc sunt viri docti, quorum de metastasibus sententias afferre potuissemus. sed cum minus a praedictis differant, operae supersedere ideoque in his, suadente quoque tempore, subsistere eo aptius visum est, quo magis, quae ipsi hac de re sentiamus, eruditorum examini forsitan submittendi sese praebebit occasio.
